Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

gressus es? Ut quid facit intrare in eum qui habebat collegam meum amoris demonem? Noluit autem sanctus antequam purgaret virginem vel adolescentem vel signa iubere perquiri, ne aut solutis incantationibus demon videretur recessisse, aut ipse sermo eius accommodasset fidem, asserens semper fallaces esse demones, et ad simulandum callidos. Sed magis reddita sanitate increpuit virginem, cur fecisset talia per que demon intrare potuisset.

Non solum autem in palestina et in vicinis egipti vel syrie urbibus, sed etiam in longinquis fama eius percrebuerat. Namque candidatus constantini imperatoris homo rutilus coma et candore corporis indicans provinciam inter saxones et alamannos, gens eius est non tam lata quam valida, que apud historicos germania nunc francia dicitur, antiquo ab infancia possessus demone, qui noctibus eum ululare, ingemiscere, fremere dentibus compellebat, secreto ab imperatore evectionem petiit, causam ei simpliciter indicans. Et acceptis ad consularem quoque palestine litteris, cum ingenti gaudio honore et comitatu gazam deductus est. Qui cum a decurionibus loci illius quesisset ubi habitaret hylarion monachus, territi gazenses et putantes ad eum ab imperatore missum, ad monasterium perrexerunt, ut et honorem commendato exhiberent, et si que de preteritis iniuriis in hylarionem esset offense novo officio delerent. Deambulabat autem tunc senex in harenis mollibus et secum de psalmis nescio quid murmurabat. Vidensque turbam tantam venientem subsistit, et resalutatis omnibus manuque his benedicens, post horam ceteros abire precepit. Illum vero cum servis suis et apparitoribus manere iussit. Ex oculis enim eius et vultu cur venisset agnoverat. Statim ergo ad interrogacionem suspensus homo ut vix terram pedibus tangeret immane rugiens syro quo interrogatus fuerat sermone respondit. Videres de ore barbaro et qui franciam tantum et latinam linguam noverat, syra ad purum verba resonare, ut non aut stridor, non aspiratio, non idioma aliquid deesset eloquii palestini. Confessus est itaque quo in eum intrasset ordine. Et ut interpretes eius intelligerent, qui grecam tantum et latinam linguam noverant, grece quoque eum interrogavit. Quo similiter et in verba eadem respondente multasque incantacionum occasiones et necessitatem magicarum artium ostendente, Non curo, ait, quomodo intraveris, sed ut exeas in nomine domini nostri ihesu christi impero. Cumque curatus esset simplicitate rustica decem libras auri offerens, ordeaceum ab eo accepit panem, audiens quod qui tali cibo alerentur aurum pro luto ducerent. Parum est de hominibus loqui. Bruta quoque animalia quotidie ad eum furencia pertrahebantur, in quibus bactrum camelum mire magnitudinis qui multos iam obtriverat, triginta et eo amplius viri distentum solidissimis funibus cum clamore adduxerunt. Sanguinei erant oculi, spumabat os, volubilis lingua turgebat, et super omnem terrorem rugitus personabat immanis. Igitur iussit eum dimitti senex. Statimque et qui adduxerant et qui cum sene erant omnes abierunt usque ad unum. Porro ille solus perrexit obviam et sermone syro, Non me, inquit, terres, diabole, tanta mole corporis; et in vulpecula et in camelo unus atque idem es. Et interim porrecta manu